

ditantem milites cogere ; sed ut se a Carolo Birago , quo-
cum sibi dissencionum complures causæ intercedebant , tuta-
retur . Idem Gregorii apud Emanuelem Philibertum legato ,
Mediolani Gubernatori , Sabaudiæque ipsi Duci significaverat .
Verum ob id subortæ in Gallorum animis suspiciones eximi
non poterant , multisque sermonibus jactabant : non hæc
sponte Bellagardium moliri ; consilii participes ac consciens
Hispanum ac Sabaudum esse , quibus jamdiu alte menti inse-
derat , ut Gallos penitus Italia excluderent ; Hispanum , ne
acerrium æmulum aliquando sua consilia & conatus interturbaturum experiretur ; Sabaudum , ne præpotentem Gallorum
gentem intra suarum ditionum viscera diutius ali sineret : his
impulsos , Bellagardium incitasse , pecuniam suppeditasse . Ac
licet non deessent qui dicerent , vix credendum , Hispianiarum
Regem in Italia , cuius maximam partem obtineret , turbas mi-
sceri , bellumque seri passurum , suisque rebus non conducere ,
diversæ religionis hominibus magno christiana reipublicæ detri-
mento fores istius provinciæ pandere ; attamen contra objicie-
bant Galli , dominandi sitim , proferendique imperii cupidinem
in mortalium animis ingentem vim habere ; perpetua æmula-
tione Hispianiarum ac Galliarum Reges de imperio decertas-
se : quod vero ad religionem attineret , Ugonottorum auxi-
lia , Gallo e Salassiis pulso , trans montes amandari posse .
Arnoldus Ferrerius , Henrici legatus , quam suspecta Hispano-
rum ac Sabaudi consilia forent , apud Principem Patresque disce-
ptabat : haud parum Reipublicæ interesse , si amicum Regem
ditionibus , quæ in Italia jamdiu possideat , exui patientur .
Senatus , ob ea , quæ nuper in Salassiis acciderint , non minus
Henrici Regis , quam Italorum Principum , ac Reipublicæ i-
psiis causa summam molestiam percepisse ; in publicam pacem
studium certissimis semper argumentis declarasse ; ne tranqui-
llitas turbaretur , enixurum , legato respondet . Hispanus quo-
que orator Collegium adit , specie , ut de iis , quæ tum Ro-
mæ , tum in Gallia agitata a Senatu ajebat , Patribus gratias
ageret ; re , ut quæ mens publica , quove Venetorum
consilia tenderet , conjectaret . Cui Princeps , prudenti dissimula-
tione usus , nullos tumultus in Italia esse , nullum de-
trimentum quietem passuram , respondit .

*Gallorum
de Salassiis
rum mori-
bus suspi-
ciones.*